

DISPUTATIO PHYSICA

De

# FORTUNA ET

# CASU,

Quam

Divinâ adspirante Gratiâ

In Florentissimâ V Vittebergensi Academia,

PRÆSIDE

VIRO

*Plurimum Reverendo, Præclarissimo Excellentissimoq;*

## DN. CONSTANTINO Ziegler

SS. Theol. D. Physices Professore Publico longè dignissimo, atqve Amplissimæ Facultatis Philosophicæ h. t. DECANO Spectatissimo,

DN. Patrono, Præceptore ac Promotore maximoperè devenerando,

*placide συφιλοσοφόντων disquisitioni publicè subjicit*

### NICOLAUS SIMONIUS,

Horstiensis Holsatus.

*Ad diem XXV. Febr. Horis Matutinis*

In Auditorio Majori.

WITTEBERGÆ,

Excudebat JOH. RÖHNERUS, Acad. Typogr. 1665.



Philos.  
C.  
35, 12

107



V I R I S

*Maximè Reverendis, Præ-Clarissimis,  
Doctissimis*

**DNO. JOHANNI SIMONIO,**  
Ecclesiæ Patriæ Horstanae Pastori Primario, meri-  
tissimo, nec non Consistorii Regii Munsterdorffiensis  
Conseniori gravissimo, Domino Patruo suo  
filiali cultu prosequendo.

**DNO. ANDREÆ WIELHADIO,**  
Horstiensium Pastori vigilantissimo, ut & Consisto-  
rii Regii Munsterdorffiensis Assessori Spectatissimo,  
Domino Adfini suo plurimum colendo.

**DNO. NICOLAO TOLLIO,**  
SS. Theol. Cand. dignissimo, verbi divini apud  
Beyenfleetanos Ministro primario, fidelissimo, nec non  
Consistorii Regii Münsterdorffiensis Assessori Spectatis-  
simo, Domino Adfini suo summopere adamando,  
colendo.

**DNO. SAMUELI DIETERICO,**  
Verbi Divini apud Boccavienses Ministro vigilantissimo,  
Domino Adfini suo multis nominibus suspiciendo.

*Dominis Evergetis, Patronis & Fautoribus obnixè  
colendis, de venerandis,  
Exercitatuunculam hanc Academicam, eâ quâ  
par est, animi devotione*

*Offert*

**NICOLAUS SIMONIUS, Horst. Holsatus.**



## Introductio.



Mittenda non est in Physicâ doctrinâ  
**Fortunæ & Casus**, sed tradenda me-  
 lioris doctrinæ majorisq; illustrationis gra-  
 tiâ, & quidem omnium optimè post causas  
 externas. Quia enim multa fortuito, mul-  
 ta casu fiunt, & verò Fortuna ac Casus nec ad  
 internas causas, Materiam & Formam, quæ essentiam corporis  
 naturalis ingrediuntur, referri queunt, cum Fortuna & Ca-  
 sus partes effectûs fortuiti & casualis non sint neq; dici pos-  
 sint: nec ad Finem spectant, cum nihil magis Fortunæ & Ca-  
 sui repugnet, quàm Finis, quia præter intentionem agentis  
 sunt; ad causam Efficientem meritò referimus Fortunam atq;  
 Casum, & quidem ad eam, quæ per accidens est, cum utrobiq;  
 detur influxus, sed non intentio. Quam doctrinam Fortunæ  
 & Casus tradere hac disputatione dum constituimus, sit Bone  
 cum DEO.

## SECTIO PRIMA,

*Hujusq;*

## Caput Primum

*Explicans*

## Definitionem Fortunæ &amp; Casus,

*quæ sunt*

Fortuna est causa per accidens, in actio-  
 nibus hominum certo consilio susceptis.  
 Sic cum terram fodiens Agricola, ut felici-  
 ter proveniant fruges, thesaurum invenit,  
 de fortunâ suâ gloriatur.

A 2

Casus



Casus est causa per accidens, in actionibus rerum naturalium ob certum finem susceptis. Sic cum tegula de tecto decidit, & vulnus prætereunti infligit, casus est.

§. 1. Tradituris fortunam sermo non est de deâ illa gentiliū, stante in mutabili rotâ, cæcâ, & dimidiam partem albâ, dimidiam nigrâ, quæ nec rationem nec legem novisse, mortalibus autem dominari credebatur. Quam *Plinius l. 2. Nat. c. 7. p. 63.* ita describit: Locis omnibus, omnibus horis omnibus vicibus fortuna sola invocatur: una nominatur, una accusatur: una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conviciis colitur, volubilis, à plerisque; verò & cæca æstimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorum faulrix, huic omnia expensa, omnia feruntur accepta, & in totâ ratione mortalium sola utramque paginam facit. Adeoque; ut Sors ipsa pro DEO sit, quâ DEUS probatur incertus: Et hanc fortunam Philosophi saniores, cum primis verò Christiani execrati merito sunt & execrantur maximè; sed de Philosophicâ à nobis jamjam descriptâ. Hanc verò dari, res ipsa loquitur sc. quia hominibus certo consilio agentibus non intenti & præstituti effectus se offerunt; eo ipso Fortunam dicunt atque probant. Dato enim effectū, datur causa: dato tali effectū, datur talis causa: dato ergo effectū fortuito, datur Fortuna.

§. 2. Constat autem Definitio Fortunæ *Genere & Differentiâ.* Genus est causa per accidens, Idque; rectissimè. Fortunæ enim competit definitio causæ per accidens, quæ est, quod incidenter & sine intentione effectum producat. Unde tale formatur argumentum: A quocunque; indirectè & incidenter procedit effectus, illud est causa per accidens. A fortunâ indirectè & incidenter procedit effectus. E. fortuna est causa per accidens. Major firma est ex definitione causæ per accidens, quæ ex eâ formalitate, quâ causæ per se opponitur, iudicanda venit. Jam verò non in influxus, sed in intentionis ratione



tione viget oppositio. Ut causa effectum indicat, ait *Cicero*, sic quod effectum est, quæ fuerit causa, demonstrat. Quò facit, quod *Jobannes Lalemandet in cursu suo Philosophico Ex phys. Disp. 10. Part. X. p. 416.* habet, Causæ accidentales agunt ex intentione finis & per consequens dicuntur causæ per se; at non sic causæ per accidens, sed dicuntur illæ causæ esse per accidens, quæ producunt effectum præter intentionem agentis, aut præter ordinarium causandi modum, sequiturq; ille effectus non ex eo, quod causa sic operetur, sed tantum per accidens: Hujus modi est inventio thesauri, ratione cujus fossio terræ arando dicitur causa per accidens: non enim agricola arando intendit inventionem thesauri, sed solum fossionem terræ.

§ 3. *Differentia* duo involvit Materiale, actiones hominum certo consilio susceptas, & Formale, inexpectatos & accidentales eventus. Illud vult, ut actio fiat cum ratione: Hoc ut cum actione illâ aliquid fortuiti conjungatur, quod intentum antè non erat, Quod utrumq; exemplum de agricola in fossione terræ thesaurum inveniente jamjam adductum luculenter probat. Ubi notes insuper, quia objectum illius sunt actiones hominum deliberatæ, qui tamen ex deliberatione & electione agunt, nec in pueros, cum careant *λογιστικῆς*; nec in DEUM cadere fortunam. Cum enim ipse omniscius æquè atq; omnisapiens sit, eum nihil subter fugere potest, quod non præsciverit. Unde illud quoq; quod apud nos fortuitum est, apud DEUM intentum erat. Sic exaltatio Josephi post venditionem fortuna erat respectu fratrum ipsius, intenta verò apud DEUM. Sic ab altero forte fortunâ interficitur, qui certas ob causas in manus occisoris à DEO traditus fuit.

§ 4. Sic definitio Casus etiam constat *Genere & Differentiâ*. *Genus* iterum est causa per accidens ex antè adductis rationibus. *Differentia* continet materiale, actiones rerum naturalium ob certum finem susceptas, & formale, inexpectatos & accidentales eventus. Sic, si quis deambulans per vicus lædatur à tegulâ cadente ex tecto, vento depulsa, dicitur casu factum. Ita casus est, cum vitrum de mensâ cadit, nec dif-



frigitur, cum plantæ & bruta monstri aliquid parturiunt. Hinc, quia maxima casus & Fortunæ est cognatio, ab hac ille non differt formaliter, sed materialiter, non ratione naturæ suæ, sed ratione objectorum. Utrobiq; absentia intentionis datur. At casus est in agentibus naturalibus, quatenus talia: Fortuna verò in voluntariis seu liberis, quatenus talia, h. e. Fortuna est in actionibus hominum ex certâ præelectione agentium; Casus autem in actionibus hominum & aliorum citra præelectionem agentium, ceu exemplis propositis rem dedimus probatam. Ubi tamen notes velim, generaliori vocis acceptione nonnunquam casum etiam iis assignari, in quibus electio locum habet. Hinc homicidia casualia in ore omnium quæ specialius fortuita dicenda fuerant.

## Caput Secundum

*Explicans*

### Divisiones Fortunæ & Casus.

Fortuna dividitur in Bonam & Malam. Bona est, cum eventus, qui accidit, bonus est, Sic bona fortuna est, cum Rusticus terram fodiens thesaurum invenit: Mala est, cum eventus, qui accidit, malus est, Sic mala fortuna est, cum Rusticus terram fodiens frangit rutrum.

Casus etiam dividitur in bonum & malum. Bonus est, cum eventus, qui accidit, bonus est, Sic bonus casus est, cum vitrum de mensâ cadit, nec tamen frangitur: Malus

lus



lus est, cum eventus, qui accidit, malus est,  
Sic malus casus est, cum tegula de tecto de-  
cidens, prætereuntem occidit.

§. 1. Necesse non putamus, pluribus adeò atq; pro-  
lixioribus rationibus divisiones Fortunæ in bonam & malam,  
atq; Casus, in bonum & malum confirmare. Illæ enim uti  
neminem fugiunt, ita videas alios gloriari de bona, conqueri  
alios de malâ fortunâ: alios aggravatos casibus, levatos alios.  
Quibus destinatò missis, animo sedet paucis attingere senten-  
tiam nonnullorum, quam de Fortunâ bonâ & unde illa pro-  
veniat, deq; verè fortunatis fovèrunt, hîcq; tradere & explicare  
amant. Aristoteles dicit, quod bona fortuna continua & di-  
vina nihil aliud sit, quàm sine ratione natura inclinans homi-  
nem ad sequendum divinos impulsus, quibus agitur ad profe-  
ctionem boni, & fugam mali. Dicitur *continua*, uti referunt,  
quia debet esse permanens & non interrupta, nisi rarò, fortuna  
enim est, quando aliquid semel aut iterum accidit, at bona for-  
tuna, quando ordinariè; Unde reducitur ad causam per se,  
quod enim fit ordinariè, fit à causâ per se: Dicitur *divina*, quia  
per eam accidunt bona alicui ex quodam impulsu, quem talis  
experitur & nescit unde proveniant illi impulsus, nisi quod  
dentur naturæ à DEO, ob quam etiam additur *sine ratione*; nam  
& sæpissimè videmus, benè fortunatos minus pollere ratione,  
quàm alios. Deinde quæ cum ratione fiunt, non solent attri-  
bui fortunæ; adde quod benè fortunati nesciunt reddere ra-  
tionem eorum, quæ faciunt, sed solum possunt dicere se im-  
pulsos ad hoc fuisse. Nonnulli tamen varias hujus rei addunt  
causas. Commentator enim 12. Metaph. illud, à quo mo-  
vetur benè fortunatus, ait esse intellectum agentem, quem vult  
esse substantiam quandam separata: Item per illam substan-  
tiam separata nos multa futura præscire, præsertim in so-  
mniis. Thom. 3. contra gentes c. 11. ait, quod homo dica-  
tur benè fortunatus, quando inclinatur ad aliquas electiones  
sibi utiles, licet talem utilitatem propriâ ratione non cogno-  
scat,



scat, & quia homo quoad corpus à corporibus cœlestibus, quoad intellectum ab angelis, quoad voluntatem à DEO, inde fit, ut inclinari possit ad utiles electiones, etiam absq; cognitione vel impressione cœlestium corporum, vel ex illuminatione angeli custodis, vel ex operatione divinâ. Ratione primæ inclinationis dicitur benè natus: ratione secundæ benè custoditus: ratione tertiæ benè gubernatus. Nota tamen, *pergit*, quod inclinatio illa data aut ab angelo aut à corporibus cœlestibus non necessitet, sed tantummodò disponat habentem: nempe angelus proponens objectum & illuminans intellectum, corpora verò cœlestia disponendo ad amorem, iram, odium &c. experitur enim unusquisq; in semetipso, quod aliquando sit dispositus melius ad unam passionem, quam ad aliam, etiam nullâ causâ internâ ad id provocante, neq; externâ, quam cognoscamus, sed tantum id potest referri ad constellationes cœlestes influentiasq; cœlorum. *Henricus quodlibeto 6. quest. 4.* negat hujusmodi impulsus benè fortunatorum debere attribui aut angelo custodi aut corporibus cœlestibus, sed ipsi DEO. Unde de finit bonam fortunam dicens, quod sit cura DEI secundum merita vel demerita, ideoq; quod omnia homini succedant in bonum, non debere reduci, nisi in divinam providentiam specialem, idem quoq; dicit de præscitis per somnia. Alii reducunt impetus benè fortunatorum in influentias & varias constellationes, quod probant, quia Astrologi prædicunt futuros eventus ex constellationibus, ajuntq; conjunctionem Jovis & Saturni significare depopulationem regnorum: apparitiones verò cometarum bella & mortes Magnatum? ex quo inferunt, quod sidera talia designantia in illorum notitiam ducant imprimendo aliquas motiones in appetitu sensitivo, aut Phantasia, ex quibus motionibus cor hominis immutatur dum aliquid nocivum, aut aliquid utile sibi debet accidere, cumqvè id præstent sidera erga bruta, quare etiam non poterunt id præstare erga hominem saltem dispositivè; Videmus enim bruta habere quasdam inclinationes naturales, quibus sibi nociva fugiant, & utilia prosequantur: sic formicæ in æstate congregant, nè hyeme fame pereant, & ne



& ne grana pullulent seu germinent ea in summitate corrodunt, ne vis seminalis prævaleat ad germinandum: sunt & hujusmodi exempla innumerabilia apud Naturalistas.

§. 2. Quibus jamjam adductis opponit se *Aureolus primo sentent. dest. 40.* & ostendit, bonam fortunam non debere referri ad intellectum agentem, nec ad angelam custodem, nec ad DEUM providentem secundum merita aut demerita, nec ad sidera. Primum probat, quia falsum est & à fide alienum, quod substantia separata sit intellectus agens; Deinde negat, referri posse ad Angelum custodem, quia officium Angeli custodis est remove impedimenta ad salutem, sed experientiam compertum est bonam fortunam sapissimè impedire à salute consequendam, quare hoc potius tribuendum esset angelis malis, quam bonis, boni enim docent paupertatem, humilitatem &c. Nec videtur, subjicit, hoc reducendum in DEUM providentem secundum merita aut demerita, unde dicit Commentator 9. Metaph. com. 7. quod, si subtrahuntur actiones corporibus naturalibus, ut dignificent DEUM tanquam immediatè omnia facientem, non habeant cerebrum naturaliter habile ad bonum. Adde quod prosperitas fortunæ est absq; meritis vel demeritis, quandoquidem & boni & mali, fideles & infideles sunt benè fortunati, id est, aliqui ex bonis; aliqui ex malis, aliqui ex fidelibus, aliqui ex infidelibus &c. Nec etiam videtur esse reducenda causa benè fortunatorum ad corpora cœlestia, cum nullam habent connexionem ipsa sidera, eorumve influentiæ cum inventione thesauri. Concludit ergò Aureolus, quod prosperitas seu bona fortuna, quæ quosdam comitatur, ferè semper consistat in quâdam occultâ industriâ, quam habent diversi homines in diversis operibus, quæ industria vocatur ab Aristotele 6. Ethic. Eustochia seu bona conjectura, & in libro de bonâ fortunâ vocatur vis divinatoria, ponitq; Aureolus hanc differentiam inter Eustochiam & Eubuliam, cujus officium est benè consulere, quod Eubulia sit cum ratione & consideratione circumstantiarum omniumq; mediolorum, quæ perducunt ad finem; at Eustochia assumat medium absq; ratione de aliquo agendo, videmusq;

B

diver-



diversos homines tales habere industrias, de quibus tamen non possunt reddere rationem. Quales industrias inditas hominibus naturaliter esse, *Lademādes* supra citatus comprobat ex eò, cum enim eas experientia compertas faciat, nec possumus reddere rationem, undenam proveniant, necesse est fateri nobis esse inditas naturaliter. Unum verò præ cæteris notandum patet ex *Aureleo*, nimirum insipientes magis esse fortunatos, quia ibi plurima fortuna, ubi est minimum intellectus; dein eundem introducit existimantem, dictam *Eustochiã* contrahi à naturali complexione, nec esse inconueniens, quod eandem habeat homo virtute constellationum, quæ fuerunt in ipsius complexione; de mente insuper *Philosophi* esse, eam habentes non indigere consilio, quia talis conjecturalis virtus perducatur eos pondere suo ad aliquid, ad quod non possent per consilium duci.

§. 3. Verum monenda pluribus plurima essent circa eam, quæ in describendâ bonæ fortunæ vereq; fortunatorum conditione à variis producuntur, paucis tamen ut expediam rem, tacemus initiò, minus rectè in exponendâ ipsa re adduci, quæ ad forum physicum non spectant, falsò quædam præsupponi, quæ vera non sunt; dicimus verò, quod fortuna in genere spectata quia causa per accidens est, bona fortuna etiam causa per accidens, neutiq; verò causa per se sit. Deinde tantùm abest ut originem bona fortuna ab intellectu agente, quem substantiam separatam dicunt, originem desumat, ut potiùs ubi multum fortunæ, ibi parum intellectus existimetur esse, cum ex hujus infirmitate, qui omnem providere nequit eventum, oriatur fortuna. Hinc rectè dicitur, quò plus fortunæ adest, eò minus prudentiæ & intellectus adest. Porro dum causam bonæ fortunæ adscribere non verentur jam astris jam Angelo custodi, jam etiam utrisq; : de Angelo custode, quid sentiendum, alterius fori est definire; Effectum verò non determinari à causâ universali, sed particulari, manifestum est, Illa enim uniformiter, hæc difformiter agit: Illa virtute unâ eademq;, hæc variâ & multiplici gaudet. Unde *Aureolus* quoq; rectè refutat, qui ad corpora celestia reducunt causam

iam



sam benè fortunatorum, cum nullam habeant connexionem sidera eorumq; influentiæ cum inventione thesauri. Tandem, qui bonam fortunam in occultâ quadam industria, dictâ ab Aristotele Eustochiâ, quæq; contrahatur à naturali completionem virtute constellationum; illamq; iterum, inexperientiâ, sed fallace, fundant; ii sibiipsis non constant, dum asserunt, ideò industrias illas naturaliter inditas assumendas esse, quia nequeat ratio alias reddi, unde fortuna bona proveniat. Enimverò ob ignorantiam causæ rei cuiusdam veræ, non tradendæ hujus falsæ, multò minus effectus determinati causæ statuenda indeterminata est.

§. 4. Asseveramus ergò nos, quemlibet fortunæ suæ fabricum esse vel obedientiâ vel inobedientiâ, cum oculatissima sit DEI providentia, quæ omnia in toto mundo regit & gubernat sapientissimè, sanctissimè, justissimè. Hinc *B. Augustin. l. 5. c. de Civit. c. 9.* Sufficit, Omne, quod fit, non nisi causa præcedente fieri. Nec enim eas causas, quæ dicuntur fortuitæ, unde etiam fortuna nomen accepit, non esse dicimus esse nullas, sed latentes. Egregium est Epigramma *Philippi Camerarii l. 1. operum succis. c. 80.*

Si vitam spectes hominum, si deniq; mores,  
Artem, vim, fraudem cuncta putes agere,  
Si proprius spectes, fortuna est arbitra rerum,  
Nescis quam dicas & tamen esse vides.  
At penitus si introspicias, atq; ultima primis  
Connectas, tantum est Rector in orbe DEUS.

## SECTIO SECUNDA

*tradens*

### Confectaria Fortunæ & Casus,

*quorum*

#### Primum

*ita habet*

Minus rectè traditur communiter Fortuna & Casus.

B 2

§. 1. *Aristo.*



§. 1. *Aristoteles l. 2. c. 5. Natur. Auscult.* definit Fortunam, quod sit causa per accidens in iis, quæ operantur ob aliquem finem ex electione, nequæ semper, nequæ ut plurimum; Et *l. c. 6.* casum, quod sit causa per accidens in iis, quæ operantur ob aliquem finem nequæ semper nequæ ut plurimum. Ubi interpretes definitionem ita explicant, quod sit *causa per accidens*, quia cum *Fortuna* effectu per se intento præter intentionem comproducit alium; *in iis, quæ ob finem aliquem operantur*, quia ubi actio temere suscipitur, ut cum quis meditationibus indulgens caput vel barbam fricat, fortuna nulla est; *in iis, quæ ex electione operantur*, ubi enim præviâ deliberatione & electione agens ad opus se accingit, ibi itidem nulla stat fortuna; *in iis, quæ non semper fiunt*, nam quis naturâ semper aberrare, aut semper cum effectu primario alium producere, existimet? in iis, quæ etiam non ut plurimum fiunt, nequæ enim putandum, naturam ut plurimum aberrare, aut ut plurimum cum effectu primario alium producere. Sic definitionem *casus* eadem explicant ratione, quâ *Fortunæ*, si electionem excipias, quam fortunæ attribuant, denegant verò casui.

§. 2. Verum licet omnia extra definitionem posita suam quodammodo mereantur sedem, in definitionibus tamen nunc obscuritatem nunc tautologias parere quilibet prudentior videt. Unde non abs re fecisse iudicamus, qui obscuras & tautologicas definitiones in perspicuas & breviores mutarunt, ac definiunt Fortunam causam per accidens in actionibus hominum certo consilio susceptis; casum causam per accidens in actionibus rerum naturalium ob certum finem susceptis, uti utrobiq; præter intentionem alius nonnunquam accidit eventus, ceu supra perspicuè, uti optimamur, rem dedimus explicatam.

### Secundum.

Ubi multum fortunæ ibi parum intellectus: Et ubi multum intellectus, ibi parum fortunæ.

Funda-



Fundatur utrumq; assertum in eo, quia fortuna intellectui prudentiaq; maximè opposita est. Illa enim consilium ac deliberatione de formali suo excludit, hæc includunt. Unde illud: Non est sapientis dicere non putaram. Hinc nulla fortuna DEO ascribitur, cum ipsi, utpote sapientissimo & omniscio, nihil improvisi, nihil in opinati possit accidere. Neq; in regno Providentiæ divinæ ullus fortunæ est locus sed quæ nos fortuita putamus, quæq; nullo nostro consilio & occasione offeruntur, sunt à manu DEI, est enim providentia divina sapientissima, liberrima, suavissima, universalis verum conservatrix, cooperatrix, ordinatrix. Medici fortunam qui deprædicat, tantum abest, ut commendat ipsam, ut potius temeritatis & imprudentiæ accuset atq; damnet. Prudenti & Cordato Medico fortuna exoptanda non est, ceu *B. Sperlingius* rectissimè sentit, vel respectu curationis, vel respectu famæ. Causas suas morbus habet, his sese opponit Medicus ex artis agens præscripto. Eventus curationi si respondet, fortuitus non est, sed intentus; sin minus aut ad ægrum, aut ad adstantes, aut ad alias causas recurrendum. Nihil temerè hîc, sed omnia seu bona seu mala à certâ & determinatâ proveniunt causâ. Medicus arti suæ confusus si nihil prætermiserit illorum, quæ ad morbum depellendum facere queunt, securus est, omnia DEO ac temporî committens. Fama sæpius imperitos, vel nullos in arte Medicâ manet, qui, si non præstigiis; nescio quibus vel methodo curandi ipsi contrariis mediis leviores & naturâ suâ satis benignos morbos profligasse videntur. Idem verò, in gravissimos ac desperatos morbos, qui prudentiam sibi poscunt atq; consilia accuratissima, si fortè incidunt, videas his hæerere aqvam, horumq; culpâ ac fortuna perire, qui per prudentiam servari poterant. Olim Pyrrhi regis dextri pedis pollex lienosis tactu medebatur, teste Plinio. Novi reges Galliæ & Angliæ scrophulas & strumas abigere creduntur. Sed hæc vulgi opinio est, quam mens rectè nullata non curat. Exempla regum Galliæ, Angliæ & aliorum an vera sint, adhuc sub iudice lis est. Fal-



fax mundus est & pro vero simplici multiplex offert falsum. Simplex nimis est, pro veris qui habet, vera quæ esse charta, perhibet. A DEO sanitatem petat æger, petant adstantes. Omne enim bonum ab eo, qui solus bonus. Medicus verò si in cæteris actionibus suis Numen implorat divinum, quidni etiam in hæc sibi propriam felicem à DEO contendat successum. Ex quibus manifestum omnino est, quo sensu fortunam hic accipiamus sc. in oppositione intellectus & prudentiæ. Quod si verò fortuna pro naturali quadam prudentiâ rerum causas perspicendi & generalia particularibus facile applicandi sumatur, eam tantum abest, ut in Medico respiciamus, ut potius vehementer desideremus.

### Tertium.

#### Quæ casu fiunt, etiam fiunt.

Non tumultuarium incogitatumve opus mundus est. Ubiq; DEI & naturæ pulcherrima habemus spectacula. Cogitavit nos ante natura, quam fecit, Seneca ait. Cogitavit, scribit elegantissimè hanc in rem *B. Sperlingius*, In *Axiomat. suis phys. ut & Exercit.* non natura, sed DEUS gloriosus totum universum, antequam fecit. Fiuntne opera naturæ incogitanter? caduntne pluvie tumultuariè? Veteres id adfirmasse ajunt hoc fretos discursu: Pluvia non fit certæ finis gratiâ, non ut fecundet terram & humectet, non ut plantas alat, recreet aut dilatet. Iis namq; locis & temporibus eaq; frequentiam cadit, ut non modò id non efficiat, sed etiam rebus nascentibus aut jam natis magnum detrimentum afferat. Quid profunt pluvie, ubi plantæ nullæ? Quid in mediis urbibus, quid in turribus, quid in tectis, num illic quoq; segetes, ibi frutices aut gramina? Cum in scopulos aut mare decidunt guttæ, an falsedinem corrigent, an mare ampliabunt, an piscibus profuturæ sunt. Quod si natura provida esset, tantum iis locis & temporibus, quibus necesse est, eaq; mensuram plueret, ut subsidio esset, non exitio. Casu ergò facta pluvia fuit. Syllogismus esset talis: Quæ finem suum



suum non assequuntur, illa propter finem non sunt facta. At pluvia interdum finem suum non assequitur. E. pluvia propter finem non est facta. Sic Epicurum ajunt, hominum corpora casu & fortuito facta esse, affirmasse, & Democritum existimasse, scribunt, coelum & sidera casu effecta esse. Veruntamen, quâ fide talia Veteribus tribuant, non jam disceptabimus. De re aliud Scriptura testatur, & ipsa quoque natura. Verbo Domini factum esse mundum, ubique Scriptura habet. Et quid aliud mundus cum partibus suis indicat? Quid aliud siderum accurata dispositio? Quid aliud viriditas Sylvarum, vehementia fluminum, fecunditas terrarum, & opulenta ac copiosa maris interfusio. Pluviae quanta mortalibus praestent commoda, neminem latet? Ardet solis ubi montes & colles, valles & convalles adurit, herbae marcescunt, flaccescunt flores, cunctaque exarescunt. Quamprimum autem pluit Jehova, omnia reviviscunt & adulescunt arbores. Quod autem non omnis pluvia assequatur finem, nihil novi. Quod homines finem suum non assequuntur, ergone certi finis gratia facti non sunt: Multa dantur inutilia terrae pondera. Lurcones vino madentes ac otio turpi torpentes. Igiturne frustra factus homo, quia frustra est hic & iste. Aliud pluvia, aliud haec pluvia est: aliud pluvia, aliud pluviae tempus & locus. De corpore hominis non nisi ea *Laurentii* considerabimus: Quae casu fiunt, inquit, raro contingunt, eorum nec certus nec prosper perpetuo sperari debet eventus. At si decem hominum millia attentè intuearis, omnia eorum corpora pari artificio constructa reperies, eundem ossium, cartilagineum, vinculorum, nervorum, venarum, articularum, viscerum structuram, eundem contextum, figuram, numerum, situm, dextra sinistra similia, totumque corpus eodem ferè circino *ισοπέριον* invenies. Nihil ergo in structura corporis se ingerit fortuitum, nihilque quod sapientiae summæ majestatem non referat. *Galenus*, ut Epicuri errorem convinceret, dicebat, se illi daturum centum annos, ut *sciret*,

rum,



eam, structuram & figuram alicujus corporis mutaret, neque dubitare se, futurum tandem, ut fateri cogeretur, non alio & perfectiori modo id fieri potuisse. Dicam ergo audacius, angelos omnes etiam si mille annos in hominis structuram consumsissent, eam nec simili ratione nec melius adumbraturos fuisse. Multa verò fieri casu in Naturam constat. Non enim eadem omnium effectuum ratio. Non eadem hominis perfecti & monstri generatio. Non idem equi & muli, Leonis & Leopardi ortus. Fiunt tamen & hæc & ista, dispari licet ratione. Fiunt ferè prodigiosa Naturæ germina, quamvis non agat natura, ut seipsam deformet & destruat. Ut ergo fiunt hæc, ita & horum causæ agunt. Fiunt non nomine tenus, sed re & opere. E. & causas habent, non titulo tenus, sed re ipsa.

### Quartum.

### Quæ casu fiunt, rarò fiunt.

Ubi casus ibi error. Naturam enim sapientissimam, plerumq; errare verisimile non est. Si quæ committit errata, rara sunt. Rarum est hominem nasci monstrosum, & inter multa millia vix reperire licet unum atq; alterum. De Lepore alias ajunt totam speciem constare Hermaphroditis. Sed experientia docet, mares ibi à fæminis sexu esse discretos. *Bodinus* ait: Hermaphroditis sunt quidam, sed non omnes, idq; à Venatore peritissimo didicimus, cum eâ de re dubitaremus. Raritas ergo semper in monstro est, non tamen semper in raro monstrositas. Quæ rarò fiunt, non omnia casu fiunt. Rarò fiunt terrarum inundationes, non tamen casu. Et hoc mundi theatrum semel tantum factum est, non autem casu, sed æterno DEI consilio.

¶